



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

De homicidio ob defensionem honoris, & pudicitiae, n. 1. paragraph. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

3. Verum cum nunc agatur de defendendis bonis externis, honore, fama, &c. dico, non posse, quia invadens nullam vim tunc infert in vaso, qui jam valide cedit juri suo, & consequenter cessat ratio, cur ego occidere possim illum, qui eum aggreditur. Excipe, si nisi res in vaso ad me pertineant, ut si bona ablata essent mihi debita: tunc enim mihi in vaso vis inferretur. Sic enim maritus potest occidere juvenem, vim inferentem uxori, quomocumque consentienti, quando illum aliter avertere non potest; nam pudicitia uxoris pertinet ad honorem mariti.

§ *Less. l. c. du. 13. n. 88.*

## §. III.

*De homicidio ob defensionem honoris & pudicitiae, ubi de duello.*

1. **Q**uod modo statuimus de defensione bonorum temporalium, extendi ad defensionem honoris & pudicitiae, palam est; siquidem haec aestimabilia, quam illa sunt bona.

*h Salon. 2. 2. q. 64. art. 7. Controv. 2. conclus. 1. Tole. l. 3. c. 6. alijsq. apud Dian. p. 8. tr. 7. resol. 48. sine, quibus ad de Val. Mol. Navar. apud Dicast. l. c. n. 64. & 66.*

Honestus ergo vir, ne alapa v. g. percipiatur, honestaque mulier, ne impudicam maculam patiat, occidere, etiam sine timore irregularitatis, invasores possunt, quando aliter consulere sibi nequeunt. Addit Bonacina, in posse invasum condonare vi-

tam invasori, patiendone violationem sui, quando non est periculum consensus: nam teste S. Lucia, non coquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Hæc ille. Sed quia difficile est non adesse in tanta occasione periculum consensus, nemini ego ejusmodi condonationem indulgerem. Vide mox n. 7.

*i Cajet. 2. 2. q. 64. ar. 6. Silvest. v. Homicidium 1. qu. 5. & passim. I. Suarez. Bonac. Coninch. & passim apud Dianam p. 2. tr. 15. res. 16. & patet ex Clement. si furiosus, de hom. in Bonac. 2. 2. d. 2. de rest. in particul. quest. ult. sec. 1. p. 10. n. 12.*

2. Sed quid, si fueris jam alapa v. g. percussus, potesne ad refarciendam contumeliam repercutere, quantum satis erit pro tuo honore? Respondeo, statim & incontinenti, etiam si qui percussit, aufugiat, & tu illum insequare ad repercutiendum, non ut vindictam sumas, sed ut recuperes honorem, quem veluti secum actu fert aufugiens, speculative probabile non est, posse; ex intervallo, nullo modo. Ratio est, quia hic esset vindictam sumere, ibi aggressionem moraliter adhuc existentem vi repellere.

*n Navar. in summa, cap. 15. num. 4. Victoria, de jure belli n. 5. Petrus Navar. l. 2. c. 3. n. 383. Henriquez l. 14. de Irregul. c. 3. n. 10.*

3. Dixi (speculative) nam propter non absimiles rationes dictas §. 1. nu. 16. in praxi id recipiendum non iudico, quamvis sciam, ab Hurtado p cum alijs id, etiam in praxi, & sine limitatione doceri. & Diana q quidē ait, idem pios & doctissimos viros docuisse.

*p. Gaspar*

p *Gasspar Hurtadus alijq; apud Dianam p. 8. tr. 7. resol. 48.*

q *Diana p. 2. tr. 15. ref. 15.*

4. Obijcies : possum ex §. 2. nu. 6 cum Vasqu. rem meam resumere à domo furis, si ipse renitatur, etiam post dies, ergo & honorem. Respondeo, nego consequentiam; nam ibi non dicitur dictum est (si res tua extet in individuo) at tuus honor in casu, de quo disputamus, cum ablati jam fuerit, & veluti deperierit, convinceris, alium æquivalentem velle acquirere, media contumelia, vel percussione, quod non esset, vim vi repellere: non ita, quando statim: tunc enim quamvis statim ab alapa v. g. tibi inflata, honor tuus deperierit physicè, non tamen moraliter, & in hominum existimatione; nam propterea id speculativè concessimus.

r *Licet contrarius nobis sit de Lugo t. 1. de just. tr. 1. disp. 10. sec. 10. nu. 189. & 290.*

5. Obijcies rursus, si quamvis speculativè liceret, statim repercutere aggressorem, teneretur hic aggressor pati talem repercussionem, imo etiam mortem: nam cum juste repercutiatur, illam pati obligabitur, alioqui esset bellum justum ex utraque parte: sed quis dicat, percussorem obligari ad patiendam repercussionem, vel mortem? ergo nec licebit repercutere. Respondeo, percussorem non teneri pati ejusmodi repercussionem; nam potest tibi veniam petere, & dare percussio congruam satisfactionem; quod si faciat, tunc injustè repercutietur, & poterit se defendere. At si nolit id fa-

cere, tunc amittit jus se defendendi, sicuti fur non tenetur permitttere, se occidi, vel percuti, tenetur tamen reddere domino rem sublatam; qua reddita, si dominus vellet adhuc illum percutere, poterit fur jure defensionis uti.

s *Petr. Nav. l. 2. c. 3. num. 380. & 388.*

6. Denique habe duo. Primò, si verbo contra te injustè contortam injuriam repellas, dicendo (mentiris) te non peccare, probabiliter etiam practicè, puto cum Soto; u quia tunc vindictam non sumis, sed, cum non possis alio modo, injuriam injustè allatam avertis. At vero afficientem te quibuscunque atrocibus contumelijs occidere non potes; x quia aliter honorem tuum defendere potes, quando solum agitur de contumelijs.

u *Sotus l. 5. q. 9. art. 3. in corp. ff. Henric. l. 14. de Irregul. c. 2. num. 10. vide Dianam p. 6. tr. 6. ref. 16. x Azor. & Lessius apud Bicastrum lib. 2. de just. tr. 1. d. 10. dub. 6. nu. 78. quidquid alij dicant, apud eundem n. 76.*

7. Secundò: puella vel juvenis, quando sollicitatur, tangitur, vel osculum jam accepit per vim ab aliquo, & posset licitè, imo cum laude, non solum verbis asperioribus, verum etiam pugnis, alapa, imo & fuste illum statim non graviter repercutere; id enim non esset, vindictam sumere, sed puritatem animi & constantem dissentium ostendere, & quamvis ejusmodi repercussio sit post susceptum v. g. osculum, tamen est etiam defensio pudicitia; nisi enim sic a-

riter hominem illum repellas, facile redibit, nec facile discedet, nec facile quis credet, te consensum non præbuisse.

2 De Lugot, 1. de just. d. 10. sec. 10. num. 169.

## De Duello.

8. Restat illa difficultas: si occidere aliquem possum ad meum honorem defendendum, possumne propter eundem honorem duellum acceptare? antequam id decernam nonnulla sunt de duello præmittenda.

Duellum a est singulare & quidem grave, atque ex privatis causis certamen inter duos, vel plures, ex condicto, designato tempore & loco. In qua descriptione illud (&) copulativè b se habere mihi videtur, ita ut si condicatur locus duntaxat, vel duntaxat tempus, non sit duellum, prout sumitur in prohibitione Pontificum mox afferenda, quæ cum sit odiosa, stricte est c interpretanda pro riguroso duello.

a Sanch. in summ. li. 2. c. 39. Clavis Reg. Fal. Fili. Bonac. aliq. citati à Basjes 7. Duellum. b Bonac. citatus. & exceptus à Diana p. 5. tr. 18. res. 59. c Hurtadus apud Dianam p. 5. tr. 3. res. 9. §. Notandum est.

9. Dixi primò (grave) pugna enim, quæ fit sine armis aptis ad interficiendum, vel vulnerandum, v. g. virga, levi baculo, pugnis, avulsione capillorum &c. non est duellum.

10. Dixi secundò (ex privatis causis) in bello enim justo, contra communes hostes, cum iisdem suscipere

& condicere duellum ad reddendum milites animosiores, vel ad hostes terrendos, vel ad finienda propter bonum publicum bella, ex principis autoritate, sine dubio licet. d

d lege Reginaldum to. 2. li. 27. c. 7. nu. 75. & Basseum l. c. n. 7.

11. Dixi tertio (ex condicto) quare, si dum duo rixantur, alter dicat, exere gladium; si dum sunt in Ecclesia, navi, Aula Principis, domi, alter ob reverentiam vel periculum loci, dicat, exeamus, eodemque impetu exeunt, & pugnant: si in loco aliquo rixam incipiant & eodem tempore atque calore in ipso impetu exeunt ad alium locum, ibidemque evaginati gladijs pugnam prosequuntur: si duobus contendentibus pugno vel verbis, alter vel uterque domum petat, armaque capiens redeat & pugnent, certum mihi videtur a non hæc duella esse, de quibus loquimur, quia in his non adest conditio determinati loci, imo nec temporis. Idem puto, contra Bonacinam, f si quis dicat, tecum pugnabo prima vice, qua per urbem obvius tibi fuero. Quia tota urbs non est locus determinatus, & prima vice, non est tempus certum.

e lege Dianam alios referentiè p. 2. tr. 16. res. 53. & p. 3. tr. 6. res. 1. f Mancinus apud Dianam p. 5. tr. 15. res. 53.

12. At, si dum sunt in Ecclesia, navi, aula, &c. non ob reverentiam vel periculum, sed ut possint liberius pugna vacare, exeant, vel alter dicat ob eundem finem, exeamus: si duobus contendentibus, alter condicens locum dicat, hic expecta, donec veniam: sumensque domi arma redeat, vel dicat,

N

hic

hic expecto, donec cum armis tu huc rede-  
as: si quis dicat inimico manenti do-  
mi, ex, hic in via expecto: si quis ab-  
solute dicat, invito te ad pugnam, quo-  
cumque in loco mihi occurreris, dubium  
videtur, an sint provocaciones ad du-  
ellum, de quo agimus? esse videtur  
nonnullis, g quia licet sub aliqua in-  
determinatione, condicitur tamen lo-  
cus & tempus. Verum cum ex dictis  
prohibitio hæc sit odiosa, nonnulli h  
censent, non esse: tum quia in aliqui-  
bus ex his non indicitur tempus vel  
locus determinatè: tum quia videtur  
ex circumstantijs, esse solum in his in-  
vitatio ad pugnandum, & valde per-  
accidens ad pugnandum in tali vel ta-  
li loco, seu tempore: tum præcipuè  
quia quando conventio & pugna fi-  
unt in illo calore, non sunt duæ, sed  
una moraliter actio; quare conventio  
tunc non est dicenda duellum, sed pu-  
gna exorta ex rixa, cum in huiusmodi  
actionibus, principium potius atten-  
datur, quam finis.

g apud eundem l. c. h apud eundem  
l. c. i lege eundem p. 6. tr. 6. ref. 21.

13. Hoc igitur duellum, etiam pri-  
vatum, est prohibitum l sub pana  
excommunicationis lætæ, Pontifici  
summo reservatè: (per bullam cru-  
ciatæ poterit semel in vita, & semel in  
morte absolvi; ut item quando deli-  
ctum est occultum, semper per Epi-  
scopum: quid per Privilegia mendi-  
cantium, m alibi universaliter vidi-  
mus) & sub alijs pœnis, præsertim sub  
pœna privationis Ecclesiasticæ sepul-  
turæ.

l Ordo huius prohibitionis hic est, Riva  
IV. confirmans constitutiones Iulij II.

Leonis X. Clementis VII. & Concilij Trid.  
sess. 25. cap. 19. de ref. prohibent Duellum  
la sollempnia. Sequitur Greg. XIII. qui  
prohibet sub excommunicatione reserva-  
ta, alijsque pœnis duella, etiam privata,  
eorumque cooperationem. Denique Cle-  
mens VIII. prædicta confirmat, additque  
aliqua magis explicita sub eadem excom-  
municatione alijsque pœnis. m in Meth.  
Confess. li. 3. c. 7. §. 4. videatur Dia-  
stillus li. 2. de iustitia. dec. 10. dub. 15.  
nu. 238. a in nostra Methodo Confessio-  
nis, lib. 2. c. 10. §. 3. n. 57.

Si moriatur in ipso actuali confli-  
ctu; & (ut ego interpretor) si sine sa-  
cramentali confessione: nam cum in-  
tercedit tempus à vulnere ad confes-  
sionem, non dicitur is mori in ipso  
conflictu. Nec obstat Rituale Pauli V.  
dum sic habet in Rubrica præfixa or-  
dinationi de exequijs: morientibus in  
duello deneganda est sepultura Ecce-  
siastica, etiam si signa pœnitentiæ de-  
derint. Non obstat, inquam, quia mi-  
nus est, dare pœnitentiæ signa, quam  
sacramentaliter confiteri; & cum in  
articulo mortis quilibet Sacerdos ha-  
beat potestatem absolvendi à qualibet  
excommunicatione, modo alias ex-  
plicato, prædictus a sic absolutus non  
decedet cum excommunicatione, &c.  
Ij nihilominus, qui in dicto conflictu  
sine his signis morientem sepeliunt,  
graviter quidem peccant, sed non in-  
currunt o excommunicationem ul-  
lam.

n Hurtadus apud Dianam p. 5. tr. 3.  
ref. 99. o Baumius & Castropal. apud  
eundem c. 7. tr. 11. ref. 44.

Nec solum committentes duellum  
inci-

incidunt in excommunicationem, verum etiam instigantes, consilium, arma, favoremque dantes, patrini, domini loci, & similes clare positi in citatis constitutionibus. Quadam exceptionem, quoad dantes arma amico omnino volenti duellum committere, vide apud Hurtadam. p.

p. Hurtad. apud eundem Dianam p. 5. tr. 14. ref. 101.

14. Contra, quia solum ratum habentes sive ipsa duellum, sive provocationem ad illud, nomine suo facta, non sunt in dicta constitutione, ideo non incurrunt q. in excommunicationem. Dubium solum est de duobus: primò, an spectatores? Respondeo, in bulla Gregorij incurrunt spectatores ex composito. In Bulla Clementis, *Hujus delicti socij de industria spectatores*. Ex quibus verbis conjicio, non r. incurrere eos, qui casu & per transitum sistunt, ut videant: imo nec qui eunt ad videndum curiositatis gratia, & nihil eorum presentia movet duellantes: multo minus, qui illuc se conferunt ob finem advocandi confessarium, vel medicum &c. sed solum ij incurrunt, qui adfunt, animum vel auctoritatem dantes duellantibus, vel tanquam testes, vel iudices, seu arbitri, &c. id enim videntur significare illa verba ex composito, & socij spectatores.

q. Florenus, de duello, apud summam Dianam, verbo, Duellum, num. 10. r. Bonac. apud Dianam p. 5. tract. 14. ref. 100.

15. Secundò dubium est de ipsis principalibus, si enim provocent, vel

acceptent, sed deinde propter aliquam rationem, altero v. g. non comparente, pugna non committatur, dubitatur, an dictam excommunicationem incurrant? Affirmat Filiucius, f. negat Mendoza, r. Filiucio favet stylus curiæ, quæ eos pro excommunicatis habet. Mendoza favent verba Gregorij, qui cum excommunicat principales, addit, *si pugnam commiserint*. Sed Filiucij sententia tenenda est, non quidem propter stylum curiæ, qui plerumque est pro foro externo, sed quia esto, per Gregorium ita res se habeat, tamen Clemens §. 7. excommunicare videtur mere provocantes: dixerat enim §. 6. fine, de instigantibus, *etiam si pugna aliqua non secuta fuerit*; quæ clausula videtur etiam intelligenda, seu supplenda in §. 7. de provocantibus. Certè prohibitio tam exaggerata Clementis, & præsertim illa verba ejusdem dicti §. 6. (& his similia) manifestè ostendunt, solam provocationem, etiam non secuta pugna, imo etiam non secuta acceptatione, sub excommunicatione reservata prohiberi. Hæc enim verba (& similia) non cadunt solum in instigantes ad duellum, ut aliquis putat, sed in principales etiam; id enim videtur ostendere modus loquendi tam universalis Clementis. Et sane mirum mihi esset, hominem mere instigantem ad duellum, vel provocationem scribentem incurrere in excommunicationem reservatam, non secuta pugna, ut patet ex ipsa Bulla Clementis, ipsum vero principalem, revocantem non incurrere.

N 2

f. Filiuc.

*f. Villinc. t. 2. tr. 29. cap. 8. nu. 170. Escobar tr. 1. exam. 7. nu. 64. c. 2. Hurtadus de Mendoza 22. d. 170. sec. 2. §. 190. etiam in terminis Bullæ Clementis apud Dian. dicentem p. 5. tr. 14. ref. 102. an hac sententia Mendoza sit probabilis, alij iudicent.*

16. His jam prælibatis, ad difficultatem propositam revertamur, an viro nobili, duellum acceptare liceat, ne vilis habeatur, & consequenter, ne honorem suum amittere cogatur?

Respondeo, *ne* nequaquam licere, nisi in casibus inferius ponendis à nu. 17. Ratio est, quia ex una parte fieret contra gravissimas constitutiones Pontificum, imò & contra jus naturale, per quod omnis pugna privata, præfertim exposita periculo cædis proximi, est illicita, nisi ipsum jus naturale permittat, in casibus, ut dico, ponendis inferius. Et in alia parte non desunt alia remedia conservandi honorem in similibus provocationibus, ut si vir honestæ existimationis hoc vel simili modo respondeat provocanti: *equidem tua isthac conditione non indigeo, ad me meaque conservanda: quocumque in loco vel tempore paratus sum hoc gladio illa defendere.*

*Sanchez, Becanus, Molina, Lessius, Rodriq. Bannes, Socus, Laym. quos citat sequitur q. Dicastillus li. 2. de just. tr. 1. d. 10. dub. 6. & communiter. Esto Vual. contrarium asserat, inclinetque in gravissimo casu Layman apud Dicastillum l. c. n. 171.*

17. Nec tamen desunt casus, in quibus licitè acceptabis duellum, *x* quidam inimicum inermem aggressus est,

gladioque stricto, sic est interminatus: *tecum pugnare volo in eo condicto loco, nisi acceptes, hic te confodiam.* Sane is licitè sine periculo excommunicationis duellum acceptavit. Alter non dissimili modo, domum de nocte cuiusdam divitis ingressus, sic locutus est: *Auferam à te hæc pretiosa bona, nisi duellum acceptes.* *x* pari modo licitè hic duello consensit, si alia via suas res servare non valuit. Ratio utriusque est, quia ex una parte humana iura non urgent in tanto periculo, & ex alia, hæc est ipsissima defensio vitæ & bonorum contra injustum aggressorem. Imò aliqui à merito idem extendunt ad provocationem. Si quis enim alia caret via, qua suam vitam servet, nisi provocet ad duellum (quem tamen casum fateor esse rarissimum) licitè provocabit, quia, in hac suppositione, hæc non est provocatio, sed justa defensio.

*x lege Hurtadum de Mendoza apud Dian. p. 5. t. 15. ref. 27. & ibid. tr. 14. ref. 99. a ibi, quib. adde Dicastil. li. 2. de just. tr. 1. d. 10. d. 15. num. 217. & Thom. Hurtad. p. 2. tr. ult. ref. 5.*

Qua ratione excusari possint acceptantes duellum, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non scuturam, vide apud *b* Dianam. Multo magis, si ex condicto, cum certa occulta promissione, quod impediendi omnino sint ab omni damno. (semper tamen præciso scandalo, legisque contemptu) etiam si descenderint *c* ad locum pugnae, gladios strinxerint, levesque sine periculo ictus aliquot contorserint.

*b* Dian.

b *Dian. p. 2. tr. 16. ref. 53. & p. 3. tr. 6. ref. 1.* c *Escobar. tr. 1. exam. 7. cap. 3. n. 66. §. Quis provocato. Bassani V. Duellum, nr. 7.*

## §. IV.

*De homicidio ad malefactores puniendos.*

**M**alefactores vel sunt in sua libertate, nondum à potestate publica comprehensi, vel sunt sub manibus iudicis, v. g. in carcere.

*Malefactores nondum comprehensi.*

1. Quoad priores, habe quatuor: primò, à nullo privato hi possunt occidi, nisi forte in casibus, quos innui superius §. 1. num. 15. sine, quia ad privatos non pertinet, aliena peccata punire, potissimum tanto mortis supplicio.

2. Secundò, potest à publica potestate concedi privatis facultas eos occidendi, ut solet fieri contra bannitos seu proscriptos, etiam proposito præmio; etiam seipfos invicem, idque proditoriè, b occidendo; etiam si præter c voluntatem tamen occidentis, Sacramentali Confessione careat occisus: tunc enim ipsi proscripto imputatur confessiois carentia, & quia secus, nullus bannitus posset (cum semper fere ipsis confessio desit) interfici. Sed in his omnibus privati quicumque, ut ministri publici, occidunt. Excipe parentes, filios, conjuges &c. de quibus dictum est superius lib. 5. c. 2. §. 2. num. 16. Illud adverte, cum

hujus facultatis exercitium pertineat ad jurisdictionem contentiosam, posse quidem à te occidi proscriptum in proprio principis proscriptoris territorio, non vero in alieno, nisi ex tacito vel rationabiliter præsumpto legitimi principis consensu. Quod si in alieno occidas, non facies solum injuriam principi alieno, verum etiam injustè occides, utpote qui occidas sine legitima facultate. Aliqui, apud Dianam, d bannitum ubicunque occidi posse docent. Ratio potest esse, quia, saltem regulariter, adest prædictus tacitus consensus.

a *Silvestr. Axor. Tolet. alijq. apud Dicast. li. 2. de just. tr. 1. d. 10. dub. 1. n. 7. & apud Menoch. de arbitr. li. 1. q. 90. nu. 4.* b *Dicast. l. c. nu. 12. c Contra Sotum, apud eundem Dicastillum ibid. d Diana p. 5. tr. 4. ref. 24.*

Si non sint legitime proscripti, sed solum rei grassatoresque, regulariter non possunt occidi, (ne à satellitibus quidem eos capere volentibus, solum ex eo, quod ipsis resistunt) nec possunt tunc iudices satellitibus facultatem concedere, ut occidant. Ratio est, quia nondum sunt convicti de crimine capitali. Dixi (regulariter) quia positus sex circumstantijs posse, docet e Farinacius, quem, si libet, adi.

e *Farinac. apud Dian. p. 8. tract. 7. §. 44.*

3. Tertiò: quando leges f permittunt marito deprehendenti uxorem in adulterio (idem patri, respectu filia) illam occidere posse, si constaret, tunc dari marito vel patri auctoritatem publicam, non peccaret in ritus, vel pater, quia procederent ut ministri